



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica


Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXIII. De Esse[n]tia Sacrame[n]ti in com[m]uni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

ligi, quàm DEUM malas etiã volitiones infallibiliter præordinare ad finem suum salvã omni arbitrij creatilibetate, simulque suã doctrinã Sanctã Romanã Ecclesiã humillimè subjiciunt, Ejus judicio statuti, quicquid ipsa circa sanã doctrinã & Sanctã Fidei mysteria statuerit. Deinde ex mente Adversariorum DEUS non solum permittit, atque ordinat, & sic utitur impijs, sed etiã determinatè imperat, ac necessitatè ad actum indispensabiliter malum; esto ulteriolem aliquem finem bonum intendat; quis autem sani cerebri dubitare possit, quin talis actio sit flagitiosa Deoque indigna? aut fingi potest efficacior procuratio criminis, quàm velle, prædefinire, intendere, imperare, necessitare physicè ad actum, cui indispensabiliter annexa sit culpa? Denique si omnia improprie intelligenda vellet Amelius, rectius dixisset; hanc non esse amplius sententiã modernorum Calvinistarum & Lutheranorum, sed Calvini, quàm verbis clarioribus expressit cum Zwinglio, & Beza, quàm ut ullã tergiversatione eludi queat. Et qui nihil blasphemiarum apud hoshæresiarum odoratur, obesse nimium naris est.



SACRAMENTA.



Hæc est hæreticorum in erroribus suis instabilitas, ut non solum à vera Romano-Catholica Ecclesiã doctrinã discedant, sed inter se etiã semper discedant ex alijs in alios errores delabentes. Et quamvis hanc animi levitatem in omnibus fidei dogmatibus, quos in Controversiam trahunt, satis clarè ostendant, in Sacramento tamen eam vel maxime præduunt, ubi nec in nomine, nec in Essentia, nec in virtute, nec in effectu, nec in numero &c. Conveniunt vel cum Romana Ecclesiã, vel inter se ipsos, suum quicquid placitum sequentes; ut planè Propheticum illud Jsaia 19. v. 2. in eis impleatur: concurrere faciam Aegyptios adversus Aegyptios: & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, & civitas adversus civitatem, & regnum ad versus regnum. Contra apud Romano-Catholicos in Fidei articulis una est omnium sententiã ac doctrinã, idèque semper animisensus. Constabit hæc ex sequentibus Controversijs de Sacramento, ad quæ post bona opera, tanquam isto un subsidia, progredimur pertractanda, atque eadem more nostro in plures Controversias ita disperniemus, ut in singulis primo semper doctrinã catholicam proponamus, tum ex ista hæreticorum errores resellamus, continuato, quem cepimus, illarum numero.



CONTROVERS. LXII.

DE ESSENTIA SACRAMENTORUM

Nomen Sacramenti apud Latinos sumitur pro juramento. In Sacra Scriptura accipitur subinde pro mysterio seu re occultata ac secreta maxime sancta aut in Similitudinem sacrarum occultanda: subinde pro signo rei occultatæ præsertim sacra. Ex communi Ecclesiã, San-

ctorum Patrum, & Theologorum usu magis contrahitur & determinatur ad certa quedam & Spiritualia signa sensibilia rei sacra; ut proinde nomen Sacramenti hodie per antonomasiam non pro quocunque signo rei, sed pro certis tantum accipitur, nempe pro ijs, quæ rem sacram homines Sanctificantem denotant modo infra explicando. De re loquendo; vera ac propria Sacramenta in utraque lege fuisse, indubitatum est, quia Concilia & Patres absolute affirmant; ea in Antiqua etiã Lege extitisse. Videndum igitur, quomodo se habeant.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Sacramentum in communi est cæremonia sacra, sensibilis, stabilis, in pignus gratiæ instituta. Sumitur hæc definitio ex D. Thoma 1. 2. q. 101. art. 4. Et q. 102. art. 5. ubi eam haud obscure tradit. Eadem est ex mente cæterorum Theologorum, non tantum reipsã, quàm verbis dissentientium. Expresse illam tradit Arriaga de Sacramentis in communi Disp. 1. num. 44. Explicatur & dicitur 1. *Cæremonia sacra*; nam omnes homines nomine Sacramenti intelligunt aliquid signum, cujus significatio vel institutio proveniat a DEO: aliquo modo tamen debet exerceri vel recipi in homine ipso, atque idcirco sit cæremonia, quã homo ipso ejus usu aliquo modo scilicet exteriori sanctificetur. Duplex autem est sanctitas, quàm tribuunt Sacramenta; una interna & perfecta per infusam gratiam sanctificantem: altera externa & imperfecta, nempe legalis, quã olim Judæi liberabantur à nonnullis immunditijs, & quasi legalibus irregularitatibus: nec consistebat in dono supernaturali animæ infuso, sicuti gratia justificans, sed tantum erat immunitas quedam ab omni legali impedimento cultus divini, ut homo censeretur dignus communionem Fidelium in publicis precibus & sacrificijs &c. Dicitur 2. *sensibilis*; quam particulam omnes Theologi admittunt cum Trident. Sess. 13. c. 3. ubi Sacramenta dicuntur *invisibilis gratiæ forma sensibilis*, hoc est, sensibilis, posito scilicet præcipuo sensu pro quolibet alio; cum enim Respub. humana non nisi sensibilibus gubernetur, oportuit pro ipsa cæremoniam hanc esse externam ac sensibilem. Dicitur 3. *stabilis*; loquimur enim hic de Sacramentis legalibus pro tota aliqua communitate institutis, qualia de facto probabiliter fuerunt omnia etiã legis veteris. Quodsi abstrahamus à Sacramentis legalibus & non legalibus, potest æquè Sacramentum pro uno & altero homine & usu institui; ac sacrificium.

II. Dicitur 4. *in pignus gratiæ.* Nam omne Sacramentum etiã Veteris Legis signum est gratiæ sanctificantis: item aliquam Sanctitatem reipsã causat. Prius sumitur ex Concilio Florentino in decreto unionis, ubi hæc habentur: *Sacramenta novæ legi multum differunt à Sacramentis antiquæ legi; ista enim nec causabant gratiam, sed tantum per Passionem Christi dandam figurabant: illa vero nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Posterior inde habetur, quod omne

Autores Vocem illam Sacramentum usurpent pro ceremonia sacra, quæ hociusmodi, quia est sacra, tribuit Suscipienti sanctitatem; cum exercere ceremoniam aliquam, & ipso illius usu Sanctificari saltem exterius, sint formalissime loquendo idem. Sacramentum igitur in Communi asserimus pignus gratiæ Sanctificantis, ut per hanc vocem excludamus propriam causalitatem propter Veteris legis Sacramenta, quia in DEO non omnis promissio causat propriè rem promissam, quando scilicet jam Supponitur ante eam promissionem res illa futura; nec tamen vetera Sacramenta mere speculative gratiam significabant, sed erant assicuraciones Christi futuri, & gratiæ per eum promissæ; atque ideo vocantur promissiones ac re-promissiones, non aliter ac chirographum dicitur obligatio, licet formaliter non sit obligatio, sed signum & assicuratio factæ obligationis, & qui exhibet chirographum, dicitur exhibere obligationem, tamen de novo non stipuletur. *Dicitur 5. in finem.* Nempe à Deo, & quidem propriè auctoritate, à quo solo vetera Sacramenta fuisse instituta docent communiter Theologi; de Nostrius verò sic definit Tridentinum Sess. 7. de sacram. can. 1. *si quis dixerit, non omnia Sacramenta nove legis fuisse à Iesu Christo instituta, anathema sit.* Sed estne hoc de fide; Respond. affirmativè post valent. Bellarm. Vasquez, Coninck, Lugo, Dicastillo D. 3. de Sacram. in communi n. 9. & alios. Nam quamvis Tridentinum in sua illa generali definitione non expresserit particulam immediatè; attamen clarum est, ibi sermonem esse de immediata institutione. Christus quæ homo non quidem instituit Sacramenta potestate auctoritatis; instituit tamen potestate cuiusdam excellentiæ, ut habetur in Tridentino Sess. 13. c. 1. & 2. agente, *Christum discensurum ex hoc Mundo suis verbis instituisse Sacramentum Eucharistiæ.* Atqui discensurus erat, ut homo. Quem admodum ergo Christo, ut Deo, competebar potestatem auctoritatis, ita humanitati, quæ instrumentum conjuncto, competebar quædam potestas tantæ excellentiæ super omnem puram creaturam possibilem, quanta alijs convenire non potest; etiam si alijs non videatur repugnare, etiam puræ creaturæ dari potestatem dependentem & delegatam instituendi Sacramenta infallibiliter ex opere operato gratiam conferentia. Sed de hoc Scholastici.

III. Ex definitione Sacramenti in communi sic declarata hæc tria aperte inferuntur. *Primum.* Nostri Sacramenta univoce conveniunt cum antiquis, ut habet Communis Sententia Theologorum cum S. Thoma 3. part. q. 60. art. 2. ad 2. Ratio est, quia antiqua æquè ac nostra propriè & in rigore participant definitionem Sacramenti à nobis traditam; siquidem utraque sunt ceremoniæ sacre in pignus gratiæ à Deo institutæ. Non obstat, quod nostra sint perfectiora antiquis; etenim etiam homo est multo perfectior, quam cetera animalia. *Secundum.* Per hanc definitionem clarè excluduntur à ratione Sacramenti, quæcumque Sacramenta non sunt. v. g. Cruces, imagines, prima Fonsura, Aqua benedicta, Professio Religionis, Consecratio Abbatum, Absolutio ab excommunicatione, transitus Maris rubi, aqua è petra featuriens, Mannæ, serpens æneus, Lectio & Cantus Evangeliorum, Verba Christi Mathæi 9. v. 2. remittuntur tibi peccata tua, Insufflatio ejusdem in discipulos Ioan. 20. v. 22. Sacrificium,

Martyrium, Chrisma, Sal, Saliva, quæ ultima tria significant gratiam sanctificantem & dona spiritus sancti in baptismo dari solita &c. Hæc, inquam, omnia & similia excluduntur tum ob alias rationes in definitione Sacramenti requisitas. tum maximè quia non sunt pignus seu artha à Deo nobis data gratiæ concedendæ &c. *Tertium.* Hæc definitio nostra Sacramenti in communi merito anteponebitur cæteris. D. Thomæ q. 60. cit. art. 2. quod sit signum rei sacre hominem sanctificantis. Scoti in 4. Dist. 1. q. 2. quod sit signum sensibile gratiam Dei, vel ejus effectum gratuitum ex institutione divina efficaciter significans. Suarezij in 3. part. tom. 3. D. 1. sect. 4. quod sit sacra & sensibilis cæremonia homines aliquo modo sanctificans & veram aliquam sanctitatem ex instituto significans. Esparzæ de Sacram. q. 1. quod sit signum symbolicum sanctitatis practicæ à Deo pro hominibus institutum. Et aliorum. Tum quia aliquæ non factis arcent ea, quæ communi sensu sunt è numero Sacramentum excludenda. Tum quia non requiritur necessariò illa similitudo naturalis; siquidem Deus quamcunque rem in pignus gratiæ accipere potest, etsi congruum videatur, ut quæ aliquam similitudinem præferunt, præ alijs disparatis assumantur. Tum quia pleræque tollunt univocationem Sacramentorum in communi. Tum quia omnes suis laborant nævis, nisi in seipsum nostræ definitionis explicentur, ut consideranti patebit.

IV. Videtur nonnullis Auctoribus pignus istud, cujus mentio fit in definitione, fictitium. Sed plane immeritò Nam hoc nomine utitur Catechismus Romanus cap. 7. aiens, *Sacramentis quasi pignoris nos Christum habere obligatum ad promissa sua.* Eodem utitur Oecumenius, qui explicans illud 1. Petri 3. v. 21. *quod & vos similis forma salvos facit baptisma non carnis depositione sordium, sed conscientie bona interrogatio in DEUM.* Vocat baptisma expressè pignus; quasi diceret Petrus: Baptismus, tanquam pignus promissionum DEI, vos in anima purgavit, ut bonâ conscientia DEO appropinquare, rogare &c. possitis. Eo ipso etiam nomine utuntur Patres dum teste Belarmino Lib. 1. de Sacrament. cap. 17. non raro Sacramenta vocant sigilla, vel signacula, quibus perinde ac pignoris assicuravit nos de suis promissionibus DEUS. Inprimis igitur pignus provenit ex voluntate DEI, à qua unice dependet; quibus autem ratio pignoris de facto conveniat, quibus non, docemur ab Ecclesia affirmante tot & non plura esse Sacramenta. Deinde cum omnia Sacramenta sint Actiones Christi, haud ægrè intelligitur, quomodo illa sint pignus seu promissio tenens se ex parte DEI de gratia nobis danda; omnis enim promissio seu pignus tenet se quodammodo ex parte promittentis. Demum si omnia Sacramenta, ut non pauci volunt, aut saltem pleraque possint esse valida & informia, melior & universalior omnibus Sacramentis conceptus non occurrit, quam quod sint gratiæ pignora seu promissiones, hoc est, assicuraciones DEI de serâ voluntate dandi gratiam omnibus, qui eas actiones rite cum debita scilicet dispositione exercent; adeoque non in sensu composito cum ipso obice, sed quando iste vel non adest, vel iterum remotus est, ut bene Arriaga Disp. 1. cit. n. 49. Non obstat, hæreticos etiam hæc vel simili voce uti. Nam isti volunt quidem Sacramenta esse quædam sigilla, sed non quatenus

quatenus significant vel conferunt gratiam sanctificantem internam, quam ipsi absolute negant, sed quatenus fidem justificantem & iusticiam Christi oblatam & collatam obsignant, atque incertitudinem aliquam Securitatēque Salutis præstant, sicuti expressè tradit Gerhardus Lib. 2. Part. 2. de Sacramentis in cominuni fol. 810. quod & falsum est, & à nostra sententiâ maximè alienum. Plura de hoc mox in altera parte hujus controversiæ. Solum nunc addo, videri hanc nostram doctrinam perquam commodam ad refutandos hæreticos; quia ex una parte admittimus promissiones, quas ipsi adeo urgent, & planè ab istis abstrahi in Sacramentorum explicacione non potest: ex altera verò parte facilius illis errorem suum ostendimus, quod prædictas promissiones malè intelligant, explicent, & ad cæteros suos errores detorqueant.

V. *Doctrina secunda.* Novâ Sacramentâ statûs gratiæ constant omnia rebus & verbis: Vetera autem non constabant verborum formulâ. Sumitur ex Concilio Florentino, quod Sess. ultima decreto Eugenij IV. hæc habet de Sacramentis novæ Legis: *Hæc omnia tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & Personâ Ministrum conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia Ubi cum pro folis Novæ Legis Sacramentis hæc requirat Concilium, hoc ipso innuit pro veteribus verba non fuisse necessaria. Ex eodem Florentino ulterius habetur, Sacramenta Novæ Legis (saltem quæ in usu consistunt) ita rebus tanquam Materia, & verbis tanquam Formâ constare, ut intrinsecè & essentialiter hæc partes includant, quod communiter etiam tradunt Authores, vocantes hæc partes Materiâ & Formam. Quemadmodum igitur materia & forma physice unitæ pertinent ad essentiâ compositi, ita Materiâ & Formâ Sacramenti moraliter & sufficienter unitæ pertinent ad essentiâ Sacramenti. Dixi consistenibus in usu; quod additur propter Eucharistiam, ubi est specialis difficultas, ob quam forma videri possit non pertinere ad essentiâ Sacramenti; quandoquidem illud in esse Sacramenti longo tempore perseverat, postquam forma consecrationis omnino periit. Verùm etiam si forma consecrationis post consecutum Sacramentum statim physice pereat; moraliter tamen adhuc manet, quamdiu manent species consecratæ christum continentes, ut bene Valentia, Suarez, Tanner, Lugo, Arriaga D. 8. n. 15. & alij, qui idcirco recte tenent, verba etiam in Evcharistia esse formam & partem Sacramenti intrinsecam. Cæterum in Sacramento duplex reperitur compositio; una ex Sacramento & Sacramentalitate, hoc est; vi ad significandum proveniente ex Christi institutione: altera antecedens ex materia & forma Sacramentum constituens. De hac posteriore compositione procedit doctrina nostra, quam ex mente Florentini dedimus; prior enim compositio constat ex eorum conflatum ex materia & forma tanquam subjectum & determinabile subternitur Sacramentalitati seu supernaturali ac totali significationi veluti formæ ac determinanti; ut proinde eadem materia & forma diverso respectu sint & faciant totum, & partem duntaxat subjectivam; prius respectu Sacramenti seu compositi physici: posterius respectu Sacramentalitatis, seu compositi artificialis.*

VI. *Doctrina tertia.* Materia & forma est aliquo

modo a Christo determinata atque designata, ut sit invariabilis ab Ecclesia. Ita omnes tenent Catholici. Nam Christus designavit quædam prædicata rerum, secundum quæ & per quæ essent legitima materia: & sine quibus prædicatis non forent, v. g. pro Baptismo aquam naturalem. Sunt quidem aliqui casus, in quibus videri possit Ecclesia mutare materiam; at reverà non mutat, sed facit tantum, ut aliquid habeat, vel non habeat illud prædicatum, quod Christus designavit. Sed hoc suffus declaratur à Scholasticis, & sufficienter constabit ex dicendis de materia & forma singulorum Sacramentorum.

VII. *Doctrina quarta.* Sacramentum redditur nullum, quando forma aut materia substantialiter aut essentialiter est mutata: sicut quando tantum accidentaliter. Ita communiter Catholici Doctores. Censetur materia Sacramenti substantialiter mutata, quando juxta communem usum & hominum æstimationem non manet ejusdem nominis & rationis cum materia à Christo instituta: Forma autem, quando legitimus ejus sensus à Christo intentus non manet. Ratio prioris est; quia materia ista non tam physice quam moraliter in ordine ad usus humanos consideratur: prioris verò; quia sensus est quasi anima verbi, quæ non propter sonum, sed propter sensum profertur; ut proinde manente eodem perfectio sensu censetur eadem formâ manere. Porro Legitimus sensus tunc non manet, quando nec secundum communem usum, nec propter hunc & nunc verba profertuntur; censetur idem cum illo, quem Christus intendit. Varijs autem modis mutari possunt formæ Sacramentorum; de quibus singulis agere non est hujus loci. Videri possunt tam Scholastici, quam Morales Theologi, qui plures casus proponunt & discutunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VIII. *Error primus.* Nec nomen Sacramenti in Scriptura habetur pro signo rei, nec res ipsa, sive Sacramentum esse signum gratiæ interioris, vel causam hujus. Ita Lutherus lib. de Capti. Babyl. c. ult. tui omnes moderni hæretici consentiunt aliàs inter se minimè convenientes, quid sit; & quomodo definiatur Sacramentum. Lutherus loc. cit. definit, esse promissionem signo externo annexam. Melanchthon in Apolog. Confessionis August. esse ritum, qui habet mandatum DEI. Cui addita est promissio gratiæ. Gerhardus L. 2. P. 2. fol. 810. esse sigillum promissionem Evangelicam obsignans. Calvinus Lib. 4. Instit. c. 15. §. 1. esse symbolum externum, quo benevolentia erga nos sua promissionem conscientis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei imbecillitatem, & quo nos vicissim pietatem erga eum nostram testamur. Fundant se Sectarij in S. Scriptura; ex qua universim constare ajunt, promissiones DEI sæpe obsignatas fuisse per externa signa vel symbola v. g. iridem fuisse signum fœderis inter DEUM & Noë Gen. 9. v. 12. Rorem & Velus fuisse sigillum promissionis à DEO factæ Geodeoni de Victoria contra Madianitas Jud. 6. v. 17. Umbram horologij retrocedentis 10 gradibus promissi-

promissionis à DEO factæ Ezechie Regi de Sanitate 4. Reg. c. 29. v. 30. Specialim verò Lutherani afferunt pro se illud Pauli ex epist. ad Roman. 4. v. 11. *Et signum accepit (Abraham) circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio*: Calvinistæ verò illud ex Genes. 17. v. 7. *Et statuum pactum meum inter me & te, inter semen tuum post te in generationibus suis, foedere sempiterno, ut sim DEUS tuus, & feminis tui post te &c.* Confirmat Gerhardus loc. cit. fol. 82. ex eo, quod sibi persuadeat, Papistas nihil aliud velle per pignus, quo vocabulo utuntur in definitione sua Sacramenti, quam quod ipsi Sectarij per sigillum.

IX. Hunc errorem rejicit ac damnat Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 5. ubi sic decernit: *si quis dixerit, Sacramenta Novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratiæ vel iustitiæ, & nota quadam Christiana professionis, quibus apud homines discernuntur Fideles ab infidelibus, anathema sit.* Ubi clarè apparet, nomen Sacramenti usurpari pro signo rei hominem sanctificantis: & ipsum Sacramentum non esse merum signum & sigillum promissionum, sed verè continere ac conferre gratiam in Novo Testamento, nisi obicem reperiat. Sed de hoc Sacramenti effectu infra ex instituto. Nunc de solo Nominè & Definitione Sacramenti agendo.

X. Respon. 1. falsum esse, nomen Sacramenti non reperiri in Sacra Scriptura in hac significatione, nempe pro signo rei. Danielis 2. v. 19. dicitur: *Tunc Danieli mysterium per noctem revelatum est.* Ephes. 5. v. 12. dicit Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est; Ego dico in Christo, & in Ecclesia.* Et Apocal. 17. v. 7. *En Angelus dixit, quare miraris? ego tibi dicam Sacramentum mulieris.* In quibus locis somnium Nabuchodonosoris, Matrimonium Adæ & Evæ, Mulier fornicaria dicuntur Sacramenta seu mysteria, hoc est, signa rerum arcanarum ac latentium. Nam somnium Nabuchodonosoris significabat successiones quatuor regnorum, quorum ultimum erat regnum Christi: Matrimonium Adæ & Evæ conjunctionem Christi cum Ecclesia: Mulier fornicaria Romanam idololatriam. Atque hæc est etiam doctrina nostra; nempe Baptismum, Eucharistiã, & similes ceremonias à Christo institutas esse Sacramenta seu mysteria, id est, signa rei sacræ, arcanæ, & latentis, nempe gratiæ seu sanctitatis & iustitiæ inherentes. Si etiam nomen Sacramenti in hac significatione non esset in Scriptura, num idcirco esset in eadem Scriptura prohibitum? minime sanè, ut ipse Lutherus responderet Corolostadio hujus Nominis hosti.

XI. Respon. 2. ex definitionibus allatis nullam subsistere, sed aliam ab alia destrui. Contra primam Lutheri est, quod nimis sit nuda, & non explicet, cujus rei sit promissio; si subintelligat gratiam, mox ex dicendis refutabitur. Contra secundam Melancthonis est. Tum quod destruat definitionem Lutheri, non enim Sacramentum vocat promissionem, sed ritum. Tum quod ad rationem cujusque Sacramenti requiratur mandatum divinum; & quidè singulos obligans ad usum ejusdem Sacramenti, quod absq; ullo fundamento asseritur. Tum quod nomine gratiæ cum Luthero non intelligat gratiam seu iustitiam inherentem, sicut nos intelligimus, sed gratuitam peccatorum

remissionem, quam putat in eo consistere, quod Deus non imputet nobis peccata nostra, sed quasi pallio tegat, & dissimulet, quem errorem jam supra rejecimus. Contra tertiam Gerhardi est. Tum quod destruat definitionem Apologiæ Confess. Augustanæ; non enim requirit mandatum. Tum quod non explicet, cujus rei sit promissio, & sigillatio, supponens utique esse de venia peccatorum & reconciliatione cum DEO, quod mox refutabimus. Contra quartam Calvini est. Tum quod omnes priores definitiones evertat, & Sacramentum velit esse signum non gratiæ, & reconciliationis, sed diviniæ & æternæ prædestinationis. Tum quod sic omne Sacramentum foret signum rei præteritæ seu æternæ, scilicet gratuitæ prædestinationis, & consequenter nunquam afferret primam justificationem, quod apertè est falsum & contra sacra Scripturam, & Patres ac Doctores. De reliquo omnes istæ aliæque Sectariorum definitiones in hoc conveniunt, quod Sacramenta sint promissiones & sigilla, hoc est, ut ipsi pluribus explicant, sint signa externa promissionum (secundum Lutheranos) de venia peccatorum seu reconciliatione cum DEO, quæ habetur per meram non-imputationem: aut (secundum Calvinistas) de speciali benevolentia & æterna prædestinatione, ita ut in usu Sacramenti per verba concionatoriè prolata exciteretur in illis fides, quæ actu & firmiter credant; Lutherani quidem reconciliationem sui cum DEO per apprehensam eodem fidei actu iustitiam Christi: Calvinistæ verò æternam erga se benevolentiam ac prædestinationem: atque hanc æquè ac illam erga quemvis in particulari ipsis Sacramentis ædunturque usibus quasi sigillis confirmari & obsignari perinde, ac si promissor ad confirmandam suam promissionem alteri manum porrigat. Quapropter utens Sacramento v. g. communicans sic quasiatur: Quam certò ego huic bolum comedo, tam certus sum mihi (Lutherano) remissa esse peccata, & iustitiam Christi imputatam: mihi (Calvinistæ) DELIM ab æterno suam exhibuisse benevolentiam & prædestinationis gratiam.

XII. Respond. 3. in hac doctrina diversos involvit errores, qui alibi ex instituto refutantur: huc peculiariter spectare; quod Sacramenta dicantur prædictæ promissionis signa, & sigilla promissionem hanc obsignantia, quorum utrumque hisce argumentis rejicimus. *Primum.* In sacra Scriptura nusquam dicuntur Sacramenta promissionum testimonia, seu meræ promissiones, sed ubique describuntur, ut instrumenta justificationis v. g. baptismus tanquam regenerans Ioan. 3. v. 3. Ephes. 5. v. 27. Ad. Titum 3. v. 6. Eucharistiã tanquam nutrimentum vitæ æternæ Ioan. 6. v. 5. Non possunt autem nisi absurdissimè ista ita exponi; ut Sacramenta regenerare, mundare, dare vitam æternam nihil sit aliud, quam testimonium dare divinarum promissionum. Hinc etiam in expositione definitionis nostræ diximus, Sacramenta esse pignora & assecurationes gratiæ, quam antiqua significabant dandam per Christum: nostra verò actu tribuunt non ponenti obicem. *Secundum.* Si Sacramenta solum essent justificationes promissionum, frustra baptizarentur infantes & amentes, cum certum sit, eos non posse credere. Fatentur etiam Adversarij tam Lutherani, quam Calvinistæ, baptismum à Romano-catholicis collatum esse validum, ideòque non rebapti-

rebaptizant illos, qui à nobis ab ipsis desciunt. Quomodo autem sic vel valorem vel necessitatem Sacramenti tuebuntur, si infantes sine actuali fide nihil percipiunt de promissione illa tam reconciliationis, quam benevolæ prædestinationis? aut absque perceptione istorum nihilominus ipsa promissio confirmabitur & obsignabitur, adeoque sigillum ei apponetur? *Tertium.* Sigillum notius esse oportet sigillato; ideo enim appenditur litteris Regis sigillum, ut isto viso omnibus innotescat Regis autoritas & voluntas in illis litteris expressa. Atqui Lutherani & Calvinistæ tam Sacramenta quam promissiones depromunt ex S. Scriptura immediate & æqualiter ab hac dependentia. Ergo unum nõ est notius altero, & consequenter rationem sigilli habere nequit. Nec ad rem facit distinctio illa Calvinii; verbum DEI in se non esse certius: at verò Sacramentum quoad nos certius esse ad stabiliendos nos in fide. Nam signum illud est planè nudum ac naturale, nec dare nobis potest certitudinem, nisi ex verbo DEI. *Quartum.* Si Sacramentum v. g. Baptismi est tale infallibile sigillum, tunc omnes, quorum baptizantur, vel certissimè justificantur, & sunt prædestinati: vel DEUS est institutor falsi sigilli. Hoc posterius est impium; & tamen necessarium sequitur ex doctrina Sectariorum, qui tenent illud prius, & dicunt, aliquos baptizatos esse contra DEO reprobos, nec posse justificari. Ad hæc Novatores isti non admittunt doctrinam nostram, quod Sacramenta conferant gratiam infallibiliter, nisi reperiant obicem, sed absolute Sacramento tribuunt, quod confirmet, obsignet, sigillet, atque infallibiliter testetur; suscipientem v. g. Baptismum jam per fidem justificatum esse, aut juxta Calvinum ab æterno prædestinatum fuisse. Unde Melancthon in loc. de Baptis. verba ista Ministri baptizantis: Ego mandato & loco Christi baptizo te, sic exponit: hoc signo testifitor, ablu peccata tua, & te conciliatum esse Deo; Juxta Calvinum; te ab æterno prædestinatum fuisse; cum tamen sectarij negare non possint, quam plurimos ritè baptizatos non justificari; & non salvari.

XIII. Respon. nunc 4. ad fundamentum ex Scriptura. In primis exempla illa, quibus promissiones obsignari dicuntur per signa externa, nihil facere ad rem; quia promissiones illæ speciatim blin huic vel illi factæ multum differunt à promissionibus, quæ in Evangelio generatim sunt omnibus; priores enim proponebantur per Angelos in humana specie apparentes, & ideo debeant aliquo efficaci signo vel miraculo confirmari, ut à DEO fieri crederentur, & non ab homine vel diabolo in Angelum lucis se transfigurante: posteriores autem proponuntur nobis per S. Scripturam, quam agnoscimus esse infallibilem, & à DEO inspiratam, adeoque aliâ confirmatione opus non est. Deinde ad id, quod speciatim tam Lutherani, quam Calvinistæ pro se afferunt.

XIV. Respon. 5. explicationem prioris loci ad Rom. 4. pendere ab expositione posterioris ex Gen. 17. ubi agitur de pacto inito inter Abraham ejusque posteros & DEUM. Quod pactum ex parte Abrahami & posterorum ejus requirit, ut Dominus perpetuo ab ipsis pro DEO habeatur & colatur: ex parte DEI verò, ut hæc tria Abrahamo ejusque posteris præstet, i. ut in immensum

multiplicentur 2. ut terram Chanaan accipiant possidendam. 3. ut ex semine Abraham Mediam procreetur. Hujus pacti signum est circumcisio, quæ idcirco à Paulo vocatur sigillum, quo DEUS firmavit, & voluit, fore rata ea, quæ promiserat. Hinc Patres & Doctores deducunt 1. Circumcisionem fuisse signum Rememorativum pacti hic ab Abrahamo cum DEO initi. 2. Eandem fuisse etiam Representativum veræ Fidei & Religionis propriæ in adultis, alienæ in infantibus. 3. Demonstrativum simul & Purgativum peccati originalis in Posteris Abraham. 4. Distinctivum populi DEI ab omnibus alijs. 5. denique illam ipsam Circumcisionem fuisse signum Præfigurativum Baptismi Christianorum; ut dicemus suo loco, ubi etiam discitur inter ista ostendemus. Ex his clarè patet, falsum supponere hæreticos, Circumcisionem excitasse fidem in Abraham; non excitavit, sed fuit signaculum fidei jam ante habitæ; ut enim habetur Gen. 15. v. 6. & c. 17. v. 24. prius Abraham credidit DEO, ac deinde circumcisus est. Si etiam Baptismus institutus esset, ut excitaret fidem, & hujus actum non prodesset infantibus, quia in illis non potest excitari actus fidei propter defectum rationis. De reliquo, quantumvis DEUS circumcisione velut sigillo toti orbi testificari voluerit; certam legitimamque esse Abrahamæ justitiam prius per fidem acceptam, cum adhuc in præputio esset; hoc tamen privilegium solum Abrahamæ fuit, ac proinde circumcisio in alijs quibusvis non erat testificatio justitiæ, ut volunt Adversarij; reliquis autem Judæis circumcisio erat quidem signum quoddam, quod scilicet essent filij Abrahamæ: sed non erat illis sigillum justitiæ fidei, sicuti non erant omnes Patres credentium, uti Abraham fuit Pater omnium Fidelium tam præputiatorum, quam circumcisorum. Videri potest Bellarmin, lib. 1. de Sacrament. in com. Cornelius à Lapide in citatos Sac. Scripturæ locos, & alij.

XV. Respon. 6. ad confirmationem Gerhardi, aliud longè Romano-Catholicos Doctores intelligere per pignus, quam hæreticos per suum sigillum. Nam nos Catholicos supponimus, à DEO fuisse nobis promissum Christum, & gratiam per hujus merita dandam, quæ justificemur & salvemur. Sic enim DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3. v. 16. Et bene dedit nos omni benedictione spirituali in Cælestibus in Christo. Ephes. 1. v. 3. Hanc igitur promissionem utpote rei longè præstantissimæ ut plurimi faceremus, animisque nostris piâ gratiæ recordatione frequenter obijceremus, voluit DEUS, ut indicat Catechismus Romanus de Sacram. quædam ejus assècuraciones dare; & instituire Sacramenta, hoc est, sacras ceremonias, atque his, dum eas exercemus, veluti arrhis ac pignoribus se nobis obligare ad gratiam conferendam vel statim, quando illæ ceremoniæ usurpantur, uti nunc contingit in nostris Sacramentis, vel post aliquod tempus, uti accidebat in Sacramentis antiquis, per quæ indicabatur gratia hoc tempore danda, nempe per Novæ legis Sacramenta. Unde manifestum est, tam vetera quam nova Sacramenta non esse propriè promissiones, hoc est obligationes primitivæ factas, sed assècuraciones obligationis jam ante contractæ, adeoque arrham & pignus gratiæ per Christi merita dandæ. Nec ali.

Nec aliud volunt Romano-catholici Doctores, si subinde Sacramenta vocant promissiones, quibus promittebat & repromittebat DEUS mundo Christum venturum ad salvandos homines; & sic Card. Lugo de Sacram. in communi D. 1. Sect. 2. n. 17. ait, eadem Sacramenta passim à D. Paulo vocari repromissiones, ut ad Heb. 8. v. 6. & cap. 11. v. 9. atque alibi. S. Augustinus quoque lib. 19. contra Faustum scribit, *antiqua Sacramenta omnia fuisse gratia futura promissiones; & ibidem cap. 13. hæc habet: prima Sacramenta, quæ juxta veterem legem usurpabantur, fuerunt annuntiationes venturi Christi, quæ, posteaquam adventu suo implevit, antiquata sunt, & alia instituta virtute majora, utilitate meliora, factu faciliora, numero pauciora.* Sæctarij verò, dum Sacramentum vocant sigillum, volunt per istud confirmari promissiones; Lutherani quidem factas à Christo in Evangelio de venia peccatorum & consecutione salutis æternæ excitando ac roborando fidem justificantem: Calvinistæ verò factas à DEO de benevolentia & gratia prædestinationis; & cum hæc eadem DEI promissio non applicetur & profit, nisi mediante fide, ut hæc firma sit, & non vacillet, ajunt, promissionem illam per Sacramenta confirmari & obfirmari, ut iridem certi sint divinæ erga se Benevolentia & Prædestinationis; quasi verò divina promissio talis sit, quæ ut plenam fidem faciat, externo testimonio indigeat, aut quasi externa illa signa & symbola clariora sint; & notiora: quàm ipsa divina verba sive Promissio.

XVI. Ex dictis quadruplex & Inculptum discrimen apparet inter Romano-catholicos & hæreticos Lutheranos scilicet & Calvinistas. *Primum.* Catholici Sacramenta appellant pignora secunda gratiæ, seu assuranceones ex liberali DEI voluntate concessas: hæretici verò eadem dicunt sigilla seu nudas confirmationes promissionum, quasi hæc aliàs insufficientibus diffiderent. *Secundum.* Catholici concedunt gratiam intrinsecam & sanctificantem ex meritis Christi dandam; hæretici verò pertinaciter illam negant, rati, per solam fidem specialem nos justificari & saluari. *Tertium.* Catholici volunt, Sacramenta esse assuranceones divini promissi, & pignora gratiæ dandæ: hæretici verò ajunt, Sacramenta esse sigilla remissionis peccatorum obtentæ, & benevolentia de gratia prædestinationis ab æterno factæ. *Quartum.* Catholici nullam inde infallibilem certitudinem acceptæ gratiæ affirmant, quia Sacramenta vetera illam solum significabant aliquando dandam: nova autem certas dispositiones in suscipiente requirunt, de quibus nemini ordinariè constat, an secum illas afferat: heretici autem securos se inde iactant; Lutherani quidem de venia peccatorum accepta: Calviniani verò de benevolentia Prædestinationis exhibita. Ex his Gerhardus, nisi cæcus sit, infirmam suam confirmationem facile perspiciet.

XVII. *Error secundus.* Ad Sacramentum requiri necessario signum visibile, nec sufficere aliud alio sensu perceptibile. Ita ex communi aliorum Sæctariorum Amelius tom. 3. fol. 5. Probat. Tum quia omnia Sacramenta veteris Testamenti ex visibili signo constabant. Tum quia si aurium perceptio sufficeret, tum nulla differentia foret inter Sacramentum & Evangelij prædicationem. Tum quia Christus hæc ratione, cum paralytico dixit Luc. 5. v. 10. *remissa sunt tibi peccata tua,* ad-

ministrasset ipsi Sacramentum. Tum quia omnes scholastici ad existentiam Sacramenti requirunt elementum à verbo distinctum (illud ut materiam, hoc ut formam) juxta illud S. Augustini tract. 80. in Ioan. *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Errorem istum apertè rejicit Tridentinum, Sess. 13. c. 3. ubi Sacramenta dicuntur *invisibilis gratia forma visibilis,* id est, sensibilis, posito scilicet præcipuo sensu pro quolibet alio, ut jam diximus ab initio, & conveniunt in hoc omnes Theologi, nec Amelius dissentiret, nisi in ipso pruritus contradicendi prævaleret, uti levissimæ ejus probationes ostendunt. Respon. ad 1. vetera Sacramenta non præjudicare Christo, quò minus aliter signum in novis Sacramentis institurè valeat. Ad. 2. prædicationem Evangelij nec pignus esse gratiæ, nec institutam fuisse ad significandam & efficiendam gratiam justificantem. Ad 3. Christum pro potestate sua agere, nec dependere à signis ad remittenda peccata, quibus tamen signis opus habent ejus Ministri. Ad 4. spillum esse mendacium, cum plerique omnes oppositum apertis verbis tradant; imò Logici jam sciunt, materiam & formam non semper distincta realiter esse oportere. Sed ubinam apud istum Biblicum Prædicantem Sac. Scriptura? ex qua nec tentat aliquid.

XVIII. *Error tertius.* Pro forma Sacramenti ex natura hujus requiritur verbum aliquod concionale. Ita communiter hujus temporis Sæctarij, Speciatim Calvinus Lib. 4. Institut. cap. 14. §. 4. quem sequitur discipulus ejus Amelius Tom. 3. fol. 15. ubi etiam ex eo, quod asseramus, in omnibus Sacramentis inveniri res, ut materiam: verba ut formam, infert, matrimonium & Penitentiam non esse dicenda Sacramenta novæ Legis; quia non constant omnino ex rebus & verbis. Nituntur tum Autoritate D. Augustini, qui Tracta. 80. in Ioan. sic scribit: *unde tanta virtus aqua, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur.* Ergo non est vis in ipsis verbis, nisi quatenus instruunt & excitant fidem. Tum quia significatio Sacramenti non potest celebrari sine ejusmodi verbo concionali, hoc est, instructionis. Tum quia consecratio illa Papistica per verba est magia.

XIX. Errorem hunc in Concilio Florentino in decreto unionis damnatum rejiciunt omnes Catholici. 1. quia in baptismo verba illa à Christo instituta Matth. 28. v. 20. *Ego te baptizo in nomine Patris & c.* Universa Ecclesia semper intellexit, non esse concionatoria, sed consecratoria; par est ratio de verbis aliorum Sacramentorum. 2. quia Patres apertè indicant verba formæ in Sacramentis esse consecratoria; videri possunt apud valentian Tom. 4. Disp. 3. Quæst. 1. pun. 2. sufficiat solus S. Dionys. Ariopagita qui in lib. de Hierach. Eccles. cap. 7. part. 3. postquam locutus est de divinæ comunions augustissimis signis, ita subjungit: *At verò efficientes consecrationis preces non est fas scripto interpretari.* 3. quia in tota semper Ecclesia moris fuit, atque etiamnum est, verba formæ in administratione Sacramentorum referre ad consecrationem seu benedictionem materiæ; velle autem damnare tantam universa Ecclesia praxin, insolentissima est insania, ut rectè. S. Augustinus cenfer epist. 118. ad Januarium. 4. quia frustranea est concio vel instructio, cum baptizatur infans, aut etiam adultus jam diu ante, planè edoctus de